



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LXII. De miraculo satis horrendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

modum & domus devotæ Congregationis, dum adhuc incolertur, in *Volkmaria* Visitatores & Rectores fuerunt, & adhuc sunt) visitavit. Et ecce propter Divinum opus perficiendum in eodem loco ibidem idem Prior pestilentiali tempore aposthemate percutitur, & ita quidem, ut lecto decumbens graves infirmitatis molestias sustineret. At ille Venerabilis Prior, cujus in omni necessitate ad Dominum DEUM securum semper refugium erat, ibidem celeriter pro sua sanitate recipienda exoravit. Insuper & devotis Sororibus ejusdem Congregationis pro ejusdem sanitate recipienda preces imposuit persolvendas, similiter & ipsis imposuit, ut pro ejus sanitate reciperent disciplinam: quibus omnibus jam peractis aposthema Venerabilis Prioris rumpebatur, surrexitque sanus laudans DEUM de sanitate nunc recepta.

C A P U T L X I I .

De miraculo satis horrendo.

Audiatur nunc Miraculum satis horrendum. Erat quidam militaris Diæcesis Colonienſis, qui Monasterium B. MEINULPHI aliquibus vaccis suis spoliavit, Fratres verò prædicti Monasterij spoliū præfatum inſequentes, ut ablatas vaccas reſtitueret, enixè petierunt, ſed raptor eorum petitioni minimè acquieſcens, poſt modicum temporis ſpatium ſupradictas vaccas mactari feſtinavit, quibus interfectis, dum per incifionem pro eiſcendis inteſtinis aperirentur, ex earum corporibus vituli tanquam nulli uſui apti in terram foras eiſciebantur; Et ecce! ſurgentes veloci curſu projecti vituli hinc inde contra naturæ ſtatum diſcurrerunt, vitulorumque mugitus dare non ceſſarunt: nec ſuffecit hoc miraculum, niſi & majus ſequeretur, nam lotio, qua carnes earundem vaccarum purgatæ erant, foſſis, quibus Caſtrum prædicti militaris munitum erat, cùm inſlueret, aquam, quæ in foſſis continebatur, in ſpeciem coagulati ſanguinis permutavit, familiares, amici & cognati foſſas Caſtri undique plenas ſanguine proſpicientes horrore percuſſi Dominum Caſtri, ſcilicet vaccarum ſpoliatorem, acedentes horrendum illud,

illud, quod factum erat, ei referebant, qui dum oculorum visum ad fossas Castrî flecteret, videretque eas sanguine redundare, timere cepit vehementer, & non solum de transgressu dolens, sed etsi tale horrendum visu circa Castrum suum immutatum permaneret, confusione dignus propter dictum spoliolum coram omni populo notaretur: sed unus de Ministris suis sano consilio præventus Domino suo loquitur in hæc verba: *Peramande Domicelle, si à præsentî confusione, quæ dominationem involvit, penitus voluerit liberari, consultum videtur, ut opinor, quod ad persolvendas vaccas, quas à Monasterio B. Meinulphi rapuit Dominatio vestra, statim votum faciat*; qui miseris undique circumcinctus feriosâ animâ votum, quod consultum fuit, fecit absque mora: quò factò sanguinea aqua, qua fossæ Castrî replebantur pristinam speciem aquæ recepit. At Domicellus sanguinem in aquam nunc versum cernens, seque à populari confusione liberatum, prædicti Monasterij Regulares cum gaudio ad se vocans ipsis, prout justum erat, de rapina satisfecit. Hic attendant universi, quod prædictas Militaris ex eo, quod Monasterium B. MEINULPHI spoliaverat, licet de eodem spolio satisfecerit, tantâ tamen confusionis plagâ percussus fuit in hoc mundo; quanta ergo putas confusione plectendus erit, qui spoliator extitit hujus Monasterij nec in hac vita satisfecit, cum hujus Monasterij invasores, & raptores vindictam non evadant.

C A P U T LXIII.

De Miraculo circa spoliatorem quendam facto.

Quidam raptores supervenientes quasdam vaccas Monasterij B. MEINULPHI circa suum grangium *Gellinghausen* nuncupatum in pascuis absque pastore circumvagantes invenerunt, has nullo obistente per modum rapinæ auferentes ad oppidum *Geseke* adduxerunt. Postquam verò manifestum factum fuit, supra dictas vaccas Monasterio B. MEINULPHI fore, nullus ausus erat mittere manus, ut mactarentur; tandem unus, qui frivolus & præsumptuosus videbatur, DEI timore postposito accessit intrepidus, vaccasque interfecit. Quò factò viribus suis in tantum destitutus fuit, ut le-

O

ctum